

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus X. De Vita Aeterna.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

ibi flores, frondes, gramina, & omnes creaturas tam amœnas & jucundas futuras, ut est smaragdus &c. De *restitutione omnium rerum* interrogatus Lutherus: *an in regno illo aeterno futuri essent canes & alia animalia?* Respond. Certe erunt. Nam terra non erit ita inanis & vacua. Nam Petrus vocat illum diem extremum, *restitutionem omnium*, quandoquidem cœlum & terra mutabuntur, sicuti alibi clarius dicitur. Novam terram & novos cœlos creabit, creabit etiam novos canes &c. quorum cutis erit aurea, & villi ex margaritis; ibi tamen erit Deus omnia in omnibus, ibi nulla erit devoratio animalium, sicut buffones, serpentes, dracones & id genus animalium, quæ nunc propter peccata originis venenata & nocentia sunt. Tunc vero non erunt solum innocua, sed etiam nobis grata & jucunda, ut cum illis ludamus. Sed quæ est causa, quod verbo Dei non credere possumus, cum tamen omnia, testante Scriptura, completa sint, usque ad hunc articulum resurrectionis mortuorum? Respond. Peccatum originis est in causa.

(p) *Tom. IV. in Genes. p. 809. seq.* (q) *Tom. I. Alt. p. 49. a.* (r) *Tom. I. in Gen. p. 357.* (s) *Tom. VI. Alt. p. 322. b. 323. a. 324. b.* (t) *Tom. II. Alt. p. 485. a.* (u) *Tom. I. Lat. p. 48. b. seq. & p. 61. b. seq. edit. Gen. fol. 357. b. 358. a.*

LOCUS X.

De

VITA ÆTERNA.

§. I.



E vita æterna forte nihil attinet separatim dicere, *Vita æterna* cum, quæ huc pertinent, jam passim tacta sint, nec *gloria generationis* dici satis possit, quanta paraverit Deus fidelibus. *Tum* *ratione de-* enim erit *Deus omnia in omnibus*, (a) id est, quisque *scripta.*

M m m m m

electo-

electorum in Deo ipso omnia habebit, quæ nunc in omnibus rebus habet, ut, quando se manifestaverit Deus, cuncti satis habituri simus, quo ad corpus & animam, non indigentes tam variis rebus, quas præsens vita postulat. Nullus cibus aut potus tam suavis erit, quam Deus ipse uno intuitu (*Anblick*) faciet, ut semper vegeti, sani & læti simus, ac lucidiores pulchrioresque, quam Sol & Luna: ita ut vestes Cæsareæ vel regiæ, auro distinctæ, stercoris instar futuræ sint, ad ea comparatæ, quando uno aspectu divino collustrabimur. Omnia quoque spiritualia bona, æternam iustitiam, solatium & gaudium conscientiæ habebimus, ut nemo nos terrere vel inquietare possit. Summa, proiis, quæ jam particulatim in omnibus creaturis habemus, & hinc inde decerpere debemus, quanquam & hæc à Deo proveniant & dentur; ipso immediate fruemur, absque ullo defectu, & semper. *In futura vita* (b) non habebimus amplius opus fide, quia non per speculum in ænigmate, ut nunc, sed à facie ad faciem videbimus, hoc est, erit æternæ gloriæ claritas, in qua Deum, sicuti est, conspiciemus. Ibi tum futura est vera & perfecta cognitio & claritas Dei, recta ratio & bona voluntas, non moralis, aut theologica, sed cœlestis, divina & æterna. Complectur reliqua verbis ex Enarrat. Psal. XVI. (c) desumptis, ubi ad verba: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo* &c. ita commentatur: *Lætitia interna*, quam Hieronymus plenitudinem lætitarum ante vultum Dei, non male intelligit, ea est, qua videtur Deus Deorum in Zion, sicuti est, à facie ad faciem, ubi est satietas plena cordis nostri, ut digna emphasi, plenitudo lætitarum appelletur; in hac enim vita *ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus*, ita ex parte lætamur, & omnia ex parte habemus. *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* 1. Cor. XIII. 9. seq. ubi non miscebitur risus dolori, nec luctus consolationi, sicut necesse est, in hac vita fieri, dum peregrinamur à Domino, & *per speculum videmus in ænigmate*.

Quare:

Quare lætitiā hujus vitæ, lætitiā ænigmatiſ, illius vero lætitiā, vultus ſeu faciei Domini, appellare poſſumus. Sic enim Ebraice ſine præpoſitione cum & ante, dicitur, plenitudinem *lætitiarum faciei tuæ*. Ut plenitudinem lætitiarum è facie & revelata gloria Dei pendere intelligamus, ſicut Pſalmo ſequentē dicet, *ſatiabor cum apparuerit gloria tua*. Et Chriſtus Joh. XIV. 21. *qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*. Hæc eſt lætitiā æterna, quia plenitudo lætitiarum; cum lætitiæ, in hac miſeria ſanctis impartitæ, ſint ſtillæ quædam & tenues præguſtus, quicito tranſeant; plenitudo autem revelata facie Dei, perfectæ eſt, manens in æternum. *Hæc enim eſt vita æterna, ut cognoscant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, Johan. XVII. 3. *Jucunditates in dextera tua in ſinem*, quas Hieronymus decoreſ æternos poſuit, ſignificare mihi videntur doteſ reliquas corporiſ & animæ & omnium rerum, ſeu, ut noſtri vocant, *objectivas delectationeſ*, quas Chriſtus ex ſua gloria habet; ſicut enim in ſiniſtra Dei, id eſt, in hac vita in omnibuſ eſt triſtatus, ita in dextera, id eſt, futura vita in omnibuſ delectatur. Qui enim *in Dei viſione beatus* eſt, in omnibuſ ſimul jocundatur, nullum hic triſte ſpectaculum, ſed omnia jucunda, omnia cooperantur, applaudunt, favent, arrident. Sicut canit Lactantiuſ: *ecce renaſcentiſ teſtatur gratia mundi, omnia cum Domino dona rediſſe ſuo*. Eadem hic dictio eſt fœminino genere *Neimoth*, quæ ſuperius maſculino *Neimim* poſita eſt, *funes ceciderunt mihi in pulchriſ* ſeu jucundis, utrobique Chriſti jucunditatem in rebus extra Deum exiſtentibuſ, docens. Ac Ebraeuſ ultimam dictionem *Nezah*, quod nos *in ſinem*, Hieronymuſ, *æternos* reddidit, ambigua conſtructione habet, ut ad omneſ treſ parreſ queat aptari, ad vias vitæ, ad plenitudinem lætitiarum, & jucunditateſ in dextera Dei, ut ſingulaſ æternaſ accipere poſſimus, vel ad ſolaſ jucunditateſ, quas decoreſ Hieronymuſ vocat, forte quod decoriſ & formoſiſ

sis delectemur & jucundemur. Hæc erunt, cum corpora nostra, *cælum & terra in novam creaturam mutabuntur in fine mundi,* ubi omnia erunt jucunda & dulcia, interim *expectatio creatura ingemiscit & parturit, donec & ipsa liberetur à corruptione & vanitate in libertatem gloria filiorum Dei,* Rom. VIII. 19. seq.

(a) Tom. VI. Alt. p. 500. b. f. (b) Tom. IV. Gen. Lat. fol. 90. a. (c) Tom. II. Gen. Lat. fol. 182. a, b.

§. II.

*Gaudium
perfectum
exaggera-
tur.*

Quantum gaudium futurum sit in æterna vita, Spiritus S. in exemplo Josephi, quando se fratribus manifestavit, dixitque: *ego sum Joseph &c.* pingere voluit. Cogitate, quæso, quam dulce & exoptatum verbum illud futurum sit in auribus piorum in die judicii: *ego sum Joseph &c.* Imo, qualis nunc lætitia est, quando Deus vel exiguam guttulam consolationis per verbum exhibet afflictis & tentatis. *Wie wird einer so herrlich froh/ wenn die tentatio fürüber ist.* Longe igitur majus & inenarrabile gaudium erit, ubi Deus omnis consolationis revelabit, *totumque effundet se nobis in æterna vita.* Supra filii Jacob exiguam quandam levationem ægritudinis & doloris, quo antea fuerant affecti, senserunt, cum adhiberet eos Joseph mensæ suæ, clementer & laute eos tractaret, portionem minimi natu quintuplo augeret, ac tandem singulis pecuniam restitueret. Atque eodem sane modo ludit nobiscum Deus, cum temporalem consolationem suppeditat. *Aber was wills werden* in illa die, ubi non guttula aliqua, sed ipsum cælum pandetur, & tota Divinitas se aperiet? Ibi lætabimur & exultabimus ad vocem hanc: *ego sum Joseph.* Dominus Deus noster confirmet nos, & donet patientiam, ut tantam spem propositam ea, qua debemus fide & constantia, expectemus. Nam & in Psalmis gaudium illud celebratur passim, & exhortationes adduntur ad confirmandos piorum animos, ut Psal. XXXI. 20. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, & quæ perfecisti eis,* quæ

qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Et Ps. XXVIII.
14. *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Interea vero vices quædam manent in hac vita consolationis & afflictionum, alioqui perirent pii assiduo tentationum æstu. Sicut Joseph modo invitat ad se, & benigne excipit fratres, modo terret eos. Ita Deus mirabiliter nos ducit & servat, ne desperemus in tribulatione & purgatione ista peccatorum, quæ in futura vita cessabit.

Ad Genes. XLV. Tom. IV. pag. 729. seq.

§. III.

In vita æterna plene restituetur imago Dei, per peccatum *Tum resti-*
amissa. Peccati enim originalis ista culpa est, quo vitium simul *tuetur per-*
contraxit tota reliqua natura, ut Solem ante peccatum clario- *scite imago*
rem, aquam puriorem, arbores fertiliores, agros fecundiores *Dei.*
fuisse existimem. Per peccatum autem & illum horribilem
lapsum, non solum caro lepra peccati deformata est, sed omnia,
quibus hæc vita utitur, corrupta sunt. Hoc autem nunc per
Evangelium agitur, ut imago illa reparetur. Manserunt quidem
intellectus & voluntas, sed valde vitiata utraque. Evangelium
igitur hoc agit, *ut ad illam & quidem meliorem imaginem refor-*
memur, quia in vitam æternam, vel potius in spem vitæ æternæ
renascimur per fidem, ut vivamus in Deo & cum Deo, & unum
cum ipso simus, sicut Christus dicit. Neque vero ad vitam solum
renascimur, sed etiam ad justitiam; quia fides arripit meritum
Christi, & statuit nos per Christi mortem liberatos esse. Inde
alia nostra justitia oritur, nempe illa *vita novitas*, qua studemus
obtemperare Deo, edocti verbo, & adjuti per Spiritum S. Sed
hæc justitia in hac vita incipitur tantum, neque potest in hac
carne esse perfecta. Piacet autem Deo non tanquam perfecta
justitia, aut tanquam pretium pro peccatis, sed quia proficisci-
tur ex corde, quod nritur fiducia misericordiæ Dei per Chri-
stum. Deinde hoc quoque fit per Evangelium, ut conferatur

M m m m m m 3

nobis

nobis Spiritus S. qui resistit in nobis in credulitati, invidia & alijs vitijs, ut serio optemus ornare nomen Domini, & verbum ejus &c. Ad hunc modum incipit imago ista novæ creaturæ reparari per Evangelium in hac vita, sed non perficitur in hac vita: cum autem *perficietur in regno Patris*, tunc erit *voluntas vere libera & bona, mens vere erit illuminata, & memoria constans*; tunc fiet etiam, *ut omnes creature aliæ magis nobis sint subjectæ, quam in Paradiso Adæ fuerunt*. Antequam hoc in nobis compleatur, non possumus satis scire, quid illa imago Dei, per peccatum in Paradiso amissa, fuerit. Hoc autem, quod dicimus, fides & verbum docent, quæ tanquam ex longinquo ostendunt illam gloriam divinæ imaginis. Sicut autem cælum & terra initio quasi rudia corpora fuerunt, priusquam lux esset addita: ita pii illam imaginem rudem intra se habent, quam *Deus perficiet in novissimo die*, in iis, qui verbo crediderunt.

Ad Genes. 1. Tom. 1. pag. 53. a, b.

§. IV.

*Thesauri
futura vitæ
sæpe repu-
tandi, &
misericordia
hujus vitæ
oblivioni
tradenda
sunt.*

Ineffabiles (d) thesauros futuræ vitæ sæpe contemplari debemus, & lenire talibus cogitationibus molestias carnis. Sic videmus Paulum facere 2. Cor. IV. 17. *Nostra tribulatio*, inquit, *momentanea & levis est; operatur enim æternum gloriæ pondus in nobis, si non spectemus ea, quæ videntur; nam, quæ videntur, sunt æterna*. Qui igitur concipiunt spem futuræ gloriæ, & credunt promittenti Deo, deinde etiam intuentur in benedictiones corporales, &c. dic mihi, hi an non quicquid corporalium incommodorum incidet, æquissimo animo patientur? Oblivionem (e) igitur miseriarum nobis in hac vita paulatim obrepere oportebat. Etsi enim nunc, dum vermes & putredo ob oculos sunt, non possumus non eorum meminisse; tamen erit aliquando, cum omnem lachrymam absterget Deus, ut in Apocalypsi dicitur. Incipiat igitur fides oblivisci lachrymarum & ignominia, quam ipsa non cernit, tametsi oculi vident putredinem,

dinem, aures querelas & gemitus audiunt, nares foetorem cada-
veris olfaciunt; tamen fidei est dicere: Nescio hoc, nihil video;
imo multiplicationem & claritatem, ipsum solem & stellas su-
perantem, aspicio. Hoc ergo sine proponuntur talia exempla,
ut *Iosephi*, unum filiorum *Menasse*, (quia Deus oblivisci fecit la-
boris,) alterum *Ephraim*, (quia Deus crescere ipsum fecit in ter-
ra afflictionis) appellantis, Genes. XLI. ut discamus, Deum esse
creatorem omnium, vivificatorem, clarificatorem vermium &
turpissimæ putredinis. Idque in hac vita à nobis fide agnosci
& celebrari vult, postea vera in futura re ipsa experiemur.

(d) ad Gen. I. Tom. I. p. 173; b. (e) ad Gen. XLI. Tom. IV. p. 462.

§. V.

Tanta vis est fidei promissione Dei nixæ, quæ in Patriarchis *Fidei vis est*
& aliis conspiciebatur, qui certiores fuerunt in promissione, quæ *vita in Deo.*
in possessione. Sicut nos ea, quæ promisit Deus, certius nobis
polliceri possumus & debemus, ac si manibus ea teneremus. Ha-
beo regnum cælorum, baptismum, verbum, eucharistiam; hæc
certius ad me pertinent, & mea sunt, quam hæc ipsa vita, quam
vivo. Atqui non sentio, inquires. Respondeo: discendum est cum
Patribus sperare non apparentia, & oculos in cælum defigere.
Du mußt mit dem Patribus lernen auff den Wolcken reiten. Regnum
cælorum tuum est, tibi sunt condonata peccata per sanguinem
agni, tantum vide ut credas. *Es ist kein Scherz mit den* Promissio-
nibus, Deus non mentitur, dicit te esse justificatum, sanctum,
salvum, sicut clarissime & magnificentissime hæc ministerio ver-
bi nobis offeruntur; sed hoc tantum deest, quod non firmiter
assentimur verbo & promissionibus Dei. Parum hoc est, quan-
do realis est possessio tantum & Juridica; cum vero est Theolo-
gica; ibi manet dominium, etiam si mortem oppetamus. Fidem
tandem sequitur res. Sed ubi fides & possessio spiritus non est, ibi
nec realis diu durare potest. Ergo fides summa & caput rei est,
quam caro quidem vehementer impugnat & impedit; sed ro-
gemus

317132

gemus

genus Deum, ut reprimat incredulam & furiosam illam bestiam, carnem & corpus mortis, quod circumferimus, quod mortificat & occidit nos, quia resistit fidei & promissioni, & tantum in rem præsentem trahere & rapere nos conatur, *will allein ein Jurist seyn/und kein Theologus.* Justitia vero non deducit nos in cælum, sed promissio & fides, quæ cœlestia dona sunt. -- Si non credis, nihil habes. *Per fidem autem & promissionem jam possides regnum Dei. Communio sanctorum certissima & firmissima tibi est, non aliter ac si jam in cælo esses.* Fides nihil aliud est, nisi vita vera in ipso Deo, & ex his verbis discenda est vita æterna & resurrectio mortuorum: ego morior; sed Deus vivit. Sic non loquuntur Epicurei aut desperabundi; sed est vox credentis & expectantis certissima fide ac spe vitam futuram, & resurrectionem à mortuis. - Tanta vis est fidei, quæ nos vivos facit ex mortuis. Ac sane ea ipsa hora, qua incipimus credere & verbum apprehendere, etiam vivere incipimus vita æterna; quia verbum Domini manet in æternum, & Deus, qui loquitur nobiscum, æternus est, & nobiscum erit perpetuo.

Ad Genes. XLVIII. 943. seq. & pag. 979.

§. VI.

*Quomodo
regnum fi-
dei & futu-
ra vita dif-
ferant?*

Regnum ergo fidei & futura vita differunt non ad rem, sed tantum ad modum rei. Sumus enim filii Dei, sicut Johannes dicit 1. Ep. III. sed spe; nondum enim apparuit. Nam qui crediderit, is jam habet remissionem peccatorum. Si habet remissionem peccatorum, habet vitam, eamque æternam. Sumus igitur vere in regno vite, jam regnamus, jam sedemus in cœlis, sumus jam salvi facti, sed spe. Vita enim æterna & beatitudo jam cœpit, cum Christus transferret regnum Judæorum, cum jam ex morte resuscitaretur. Quicumque ergo in Christum credit, is jam eam habet & possidet. - Coram oculis Dei vere res sic se habet, sed coram nostris & mundi oculis nondum sic se habet res, sed durant adhuc angustia illæ, donec exuamus hanc carnem.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 453. b. in Esa. 65.

SUPPLE.